

domini Eugenii 4ⁱ in constitutione . . .¹⁰¹⁾, domini Nicolai 5. in constitutione „Vigilanti sollicitudine“¹⁰²⁾.

Ex alio parrochiani, qui fratribus prefatis legitime presentatis fuerint confessi, non teneantur de jure vel statuto ecclesie suo plebano aut cappellanis semel in anno confiteri, nisi hoc voluntarie facere voluerint ex devocione speciali, nec propter hoc, quod semel in anno eisdem plebanis aut suis cappellanis confessi non fuerint, possit eisdem parrochianis eucharistie vel extreme unctionis sacramenta denegare, juxta determinacionem Romanorum pontificum Johannis 22. „Vas electionis“¹⁰³⁾, Bonifacii 9. „Exhibita nobis nuper“¹⁰⁴⁾, Alexandri 5. Eugenii 4ⁱ et Nicolai 5. in prefatis constitutionibus, prohibentes sub pena heresis, ne quis oppositum audeat tenere, asserere, predicare seu dogmatizare publice vel occulte. Et qui oppositum fecerit, tamquam hereticus est cessandus et secundum constitutionem domini Alexandri 5. ipso facto sententiam excommunicationis incurrit, a nullo nisi a papa absolvendus citra articulum mortis. Unde patet quod non solum plebanus dicitur proprius sacerdos, sed et papa et episcopus et commissarii eorum et dicti cooperatores episcoporum in capitulo „Inter cetera“ de officio ordinarii¹⁰⁵⁾. Ceterum si plebanus aliquem parrochianum suspectum de sacramento penitencie haberet, hunc de suo confessore occulte habeat requisitum; quem si in veritate nominaverit, faciat plebanus ipsum quiete recipere eucharistie sacramentum. Qui si contumaciter confessorem suum nominare recusaverit, moneat occulte eum plebanus per se aut per alium, ne ad sacramentum accedat; qui si presumptuose accesserit, tradat ei plebanus sacramentum, non ad dantis sed ad recipientis dampnacionem, Christi permotus exemplo qui Jude corpus et sanguinem suum non denegavit, secundum beatum Leonem et Augustinum super psalmos, et determinacionem ecclesie positam in capitulo „Si sacerdos“ de officio ordinarii¹⁰⁶⁾. Notorios tamen peccatores publice prohibere potest ne accedant, et ipsis inante denegare eucharistie sacramentum.

Postremo secundum ritum usquequaque servatum plebanus sive predicator per fratres requisitus teneatur sub certa pena intimare populo in parrochia fratres domino episcopo presentatos et per gardianum ad confessionem Cristifidelium in monasterio ordinatos; unde in dominica palmarum, aut alias quando consuetum est fieri, prohibiciones sic dicat: „Qui plebano, suis capellanis, fratri predicatori, terminario de Plawen, aut fratribus minoribus in monasterio degentibus non est confessus, non accedat ad eucharistie sacramentum“. Et vice versa fratres per plebanum requisiti debent in confessione et predicacione populum monere, ut plebano decimas et oblaciones debitas reddat juxta capitulum „Cupientes“ de penis in Clementinis¹⁰⁷⁾.

Quartus articulus est de libera sepultura, et stat in 4^{or} punctis. Primus punctus. Cum secundum capitulum „Dudum“ antedictum quisque fidelium in ecclesiis aut aliis locis sacratis fratrum possit sibi eligere sepulturam et ipsis libere consepeliri, optat gardianus

¹⁰¹⁾ Der Raum für die Anfangsworte der Bulle ist freigelassen.

¹⁰²⁾ Wadding erwähnt diese Bulle nicht.

¹⁰³⁾ Extravagant. commun. lib. V 3. 2.

¹⁰⁴⁾ Wadding, Annal. IX, 446.

¹⁰⁵⁾ Gregorii IX. Decretal. lib. I, tit. 31, cap. 15.

¹⁰⁶⁾ Ebenda cap. 2.

¹⁰⁷⁾ Clementin. V 8. 3.